

1486 reliquit, quodque de religione, de patria, deque omnibus civitatis ordinibus optime meritus credebatur, patriam ipsam salubritate cæli, rerum omnium opulentia æque domi forisque florentem reliquisset: & quod illius fortunæ ascribere possis, illis ipsis diebus quibus humanis deceffit, a Baiffeto, Mahomethi filio, ac Græciæ Imperatore legatus ad eum cubantem cum amplis muneribus venit. In eo fortasse minus fœlix, quod ad pietatem suam in Rempublicam ostendendam parum omnino temporis sit datum. Percrebuit rumor, eum jam animam exigua spe trahentem, quatuor filios, quos superstites reliquit, ad se accersitos gravissimo sermone allocutum, quos utique ad Rempublicam perpetuo studio & pietate colendam hortatus, identidem admonuisset: *Opportere eos beneficii ab ea accepti perpetuo esse memores, quæ quo magis de patris æstimatione merita esset, quem ex privato ordine ad amplissimum dignitatis fastigium evexisset, eo impensus niti, ut quam ipse ob brevem administrationem non posset, filii debitam patriæ pietatem exolverent.* Civitas vehementi ob ejus interitum mœrore affecta est: miro omnes desiderio lamentari, prædicare vulgo illius in omnes mansuetudinem & clementiam: quippe qui præter alia multa in humilioris fortunæ viros benignitatis exempla statim ab initio sui regiminis auctor fuisset, ne ob curarum multitudinem minus ad se aditus inopibus pateret, ut omnium qui audiri vellent, nomina in sortem octavo quoque die conjicerentur, atque ita quorum nomina primo educta essent, illi ad suum tribunal prius aditum haberent. Quo pientissimo decreto est factum, ut neque ambitio neque gratia inopiæ obstaret, neque spes illius adeundi cuiquam adimeretur. Frequens civitas funus ad Gemellorum ædem extulit: ipse ad fanum publicæ Caritatis est situs. Libet hic breviter memorare, quæ sit hodie funerandi Principis ratio. Post ejus obitum cadaver extenteratum balsamoque delibutum sub aureo amiculo, ense aureisque calcaribus inversis, publice in foro triduo asservatur. Mox vero omnia civitatis collegia (quæ tot

Obitus  
ejus.

Sepultura.

Mos fune-  
randi Prin-  
cipis.